

## De Germana irata

Aliquot ante annos cum Davidi et mihi Flumen Ianuarii erat pentendum ad orationem habendam, eadem occasione eam partem familiae eius visitare constitutum quae Bonaeropoli habitavit. Avus Davidis erat Judaeus Vindobonae natus qui annis trigesimis Austria ad Germaniam iuncta patriam reliquerat ut fascales fugeret: ex Italia quo munerum causa profectus erat statim parentes appellavit qui ei suaserunt ut patriam relinquens ex Europa effugere conaretur. Inita subductaque ratione consilium parentum sequi constituit, et Massiliam pervenit unde nave in Argentinam profectus est; parentes et uxor Viennae relictis a fascalibus in campos hominibus segregandis abducti et necati sunt. Pater Davidis annis sexagesimis Angliam petivit ut studium universitatis susciperet, sed avunculus Davidis cum familia Bonaeropoli permanebat.

Is avunculus etiam tunc Davidem plus triginta annos natum eodem modo tractavit quam illum puerum quem ab ultimo conventu meminerat. Frustra eum monuimus ut saepe itinera susciperemus: semper cum domum eius reliquimus ad urbem explorandam, nobis millenis consiliis datis sollicitus valedixit.

Illam partem urbis explorare constitutum quae "La Boca" appellabatur: non procul a portu sita ubi multae tabernae nocturnae inveniri poterant. Cum per vias angustas atque hominibus vacuas ambularem, subito voces audivimus: duo juvenes in autobirulota sedentes iuxta nos steterant quorum unus illam peram, quam David in tergo portabat, eripere conatus est. Eum Davidem aggredi velle credens iratissima toto pondere corporis me ad brachium eius applicavi, summa voce Germanice clamans ut statim Davidem mitteret nisi valetudinem suam periclitari cuperet. Obstupefacti ii juvenes me aspexerunt; eos id obstaculum Germanae succensentis non providisse patuit. Cum peram etiam nunc non mitterent, umbella eis minata sum usque denique capita quatitens discesserunt, maledictis meis effugere conentes. Ridens David mihi gratulatus est quod illam peram servaveram qua nihil nisi descriptio oppidi continebatur. Vespere consobrino eius de illo furto irritum narravimus qui nobis suasit ut erga avunculum de illa re taceremus: alioquin nobis urbem explorare non iam licere.

Hebdomada proxima cum collega Brasiliano de illo furto inani narravi, ille me severe adhortatus est ne eodem modo Flumine Ianuarii agerem: si aliquis Flumine Ianuarii peram meam eripere conaturus esset, eam peram mihi statim esse reliquendam nisi vitam meam periclitari cuperem.